Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

67) Manriques Annal. ad an. 1175 c. 3. et 1176 c. 4.

68) Hennium hunc Menologio ad 26 Maji inserit Henriques: Manriques autem Annal. ad an. 1176 c. 4. id absque fundamento factum asserit, aitque: Ego inter viros illustres nequaquam dubito virum, vel solo sanguine clarissimum; Sanctis adscribere difficilius audeam: non, quia non pie conregnantem Christo credam hominem religiosum, qui tot ac tanta pro ipso reliquisset; sed quia plus aliquid ad Beati cognomen requiri videam. In quo, ut antiquis multum, ita modernis parum, etiam nihil licere compertum est, cessante publica Ecclesiæ approbatione. Unde videas, ~~Hans~~ Manriquem non nimium liberalem esse in Beatorum titulis attribuendis.

69) Manriques Annal. ad an. 1169.

70) Manriques ~~in~~ Annal. l. I in serie Abbatum Cisterciensium; item l. III ad an. 1179 c. 3. Porro privilegium Lucii III Datum Veronensi XI Kalendas Decembris Pontificatus ejusdem Domini Papæ Lucii anno III. Sed impetratio ejusdem potius successori ejus Bernardo adscribenda videtur; cum Petrus, Atrebatensis Ecclesiæ, uno omnium calculo, Pontifex nominatus fuisse dicatur in Tabulis Atrebatensibus apud Manriquem Annal. ad an. 1183.

71) De sanctissimi hujus viri conversione et gestis ex Anonymo collectore hausit Manriques Annal. ad an. 1156 c. 1; 1163 c. 5; 1178 c. 5; 1180 c. 4 et 5. Unde pauca commemorare operæ pretium fuerit. Almansor Carleti Regulus sub Zaeno Valentiæ Rege Saraceno, Saracenus et ipse ~~filium (Hameto ante baptismum nomen fuerat)~~ filios duos Almansorem et Hametum, totidemque filias Zaidam ac Zoraidam genuit, imbuitque superstitione Mahometana. Almansorem nominis et Principatus hæredem ~~hab~~ voluit. Hametus ob insignem rerum gerundarum a Zaeno Rege negotiis regni adhibitus, missusque Barcinonem ad aliqua cum Rege Christiano tractanda, a via aberrans in silva pernoctare compulsus, musicam cælestem ex vicinia resonantem audiit. Quam porro sequens ad monasterium Populeta-